

**Congregatio de Cultu Divino  
et Disciplina Sacramentorum**

RESPONSA AD DUBIA PROPOSITA\*

AN LICEAT NOVO EPISCOPO BACULUM PASTORALE TRADERE INTRA RITUM  
INGRESSUS IN DIOECESIM?

R. *NEGATIVE.*

Ritum, quo possessionem suaे dioecesis capit Episcopus, qui ab alia Ecclesia translatus est vel ordinationem episcopalem in sua cathedrali ecclesia non acceperit, Caeremoniale Episcoporum particulatim praescribit. In dicto ritu nullum locum habet traditio novo Episcopo baculi pastoralis. Episcopus enim possessionem capit essentialiter vi proclamationis Litterarum Apostolicarum et momento quo Episcopus in sua cathedra sedet.

Nam, *Caeremoniale Episcoporum*, sive ad n. 1135, ubi de Episcopi ordinatione tractatur, sive ad n. 1143, circa Episcopi receptionem in sua Cathedrali ecclesia, in lucem ponit receptionem lectioni Litterarum Apostolicarum coiungit et constitutioni Episcopi in cathedra eius.

Ad n. 1145, insuper, sic dare dicitur: « Si vero ipse Metropolita introducit Episcopum in eius ecclesiam cathedralem, tunc ad ianuam ecclesiae ipse presentat Episcopum primae dignitati capituli et praesidet processioni introitus, ad cathedram salutat populum et requirit ut ostendantur et legantur Litterae apostolicae. Quibus lectis, et post acclamationem populi, Metropolita invitat Episcopum ad sedendum in cathedra. Deinde Episcopus surgit et canitur: *Gloria in excelsis secundum rubricas* ».

Si Episcopus nondum episcopalem ordinationem receperit, traditio baculi pastoralis pars constituit ipsius ritus ordinationis, ut in Pontificali Romano dicitur (*Ord. Episc.* n. 90).

\* *Notitiae*, 46 (2009), n. 11-12, 622.